

deret : ne si verbis se Filium Dei diceret, arrogantiae notari posset; utque doceret factis, non verbis, probandam esse virtutem. Nunquam dixit Christus expresse coram populo : Ego sum Messias, vel Filius Dei; sed si qua exiebat causa, modestissime insinuavit. Cæterum factis et operibus se Messiam esse manifeste demonstravit. Ideo Lucae VII. discipulis Joannis interrogantibus : *Tu es qui venturus es?* respondit : *Renuntiate Joanni, quæ audistis et vidistis.* Ita Joan. VIII. dicentibus Judæis : *Si tu es Christus, dic nobis palam,* respondit : *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me :* et ita alibi sæpius. Nimirum virtus et dignitas non verbis jactanda, sed factis comprobanda est. Feminæ non recipiuntur pro testibus, sed viri; sic verba suspecta sunt, non item facta. Voluit ergo Christus divinitatem suam cum viris probare, non cum mulieribus. Hinc fit, ut qui verbis tantum se jactat, minus fidem inveniat, quia feminarum testimonio nititur. S. Chrysost. hom. XXXVII. in Matth. ait : « Testimonium, quod a rebus trahitur, certius est quam verborum, et absque ulla suspicione. »

VI. Ut rerum caducarum abnegationem nos exemplo suo doceret, et crucem tollendam, de quibus rebus immediate ante hanc historiam locutus scribitur ab evangelistis Dominus. Sed quomodo, inquis, per gloriæ suæ ostensionem, docet voluntariam gloriæ abnegationem : eodem prorsus modo quo Joannis XVIII. potentiæ suæ offensionem, qua cohortem Judæorum verbo uno prostravit, ostendit suam passionem voluntariam, non coactam. Multi nobiles ditissimi, interim tamen humiles, qui semper tenuiter vestiti incedunt, exigente tamen aliquando causa, ut in magna solemnitate, splendidissimas induunt vestes, ut appareat eos non necessitate aut egestate urgente, sed voluntate talibus abstinere. Similiter fecit Christus, dum hac vice inquit vestem gloriæ suæ, ne gentes vel Judæi paupertatem et passionem Christi ejus egestati et impotentiae, atque adeo necessitati adscriberent, sed (en voluntariam ejus humilitatem et abnegationem) qui semel tantum in vita gloriam suam et paucissimis ostendit, toto reliquo tempore humilitatem coram omnibus præ se tulit, et gloriam suam abscondit : cum facilius ipsi esset, gloriam suam manifestare quam occultare; sicut facilius est soli radios suos ostendere, quam abscondere : cum hoc non nisi mediante alio, nubis oppositione videlicet, facere possit; imo cum anima Christi semper beata esset, debetur Christi corpori a primo conceptionis instanti semper, ut ea claritas ab anima in corpus dimanaret ; unde miraculum potius dicer-

dum erat, quod Christi corpus non semper gloriosum esset : et in hodierna transfiguratione potius miraculum id desiit quam incepit. Ecce igitur Christus debitam corpori suo gloriam repressit vi quadam et nube veluti obducta, toto vitæ suæ tempore (præterquam in transfiguratione;) docere igitur nos exemplo suo voluit, melius esse gloriam in mundo abscondere, quam patefacere. Quam ergo dissimiles Christo sunt, qui etiam, quam non habent gloriam sibi affingunt et ostentare magnis viribus conantur; si quæ habetur et debetur gloria, occultanda est? Sane multo major honor est, cum dicitur : Ecce ista nobilissima et ditissima matrona quam modeste et tenuiter vestita incedit; quam si dicatur : Ecce ista mulier nobilitate et opibus multis aliis inferior quam comite incedit, quam superbe et pompose!

VII. Ut aliquando etiam corpori suo festum exhiberet. Tota sua vita Christus corpus fatigabat et atterebat jejuniis, vigiliis, itineribus, siti, frigore, lacrymis, longis et perpetuis orationibus et sermocinationibus, nunc aliquando etiam corpori quid concedit, non tam sui causa quam ut nos doceret, posse ac debere interdum rigorem asperitatis, qua corpus affligitur, remitti aliquantum, ut postmodum officio suo iterum fungi possit. Celebravit igitur Christus hic sua liberalia (hac voce uti liceat) quia hodie alteram induit personam, et facta est species vultus ejus altera, ut ait Lucas, c. IX. Sed videte qua ratione. Speciem alteram quidem induit hodie Dominus, sed non alienam, quia gloria ista corpori ejus semper debebatur; assumpsit igitur hodie id, quod erat, vel certe debebat. Bacchantes assumunt quod non debent, alienam scilicet speciem, non humanam. Secundo, decorem et gloriam induit Dominus, illi induunt stultitiam et ignominiam. Tertio, in ipsa gloria sua Dominus tractat de morte et passione, quia : *Dicebant excessum,* inquit Lucas, *quem completurus erat in Jerusalem :* illi tempore bacchanaliorum scurrilia, profana, obscœna tractant, mortis et inferni prorsus oblii. Quarto, Christi transfigurationi interest et cohabitavit Deus Pater, illi a suis transfigurationibus excludunt Deum. Quinto, Christi transfigurationi adsunt duo insignes leges et prophete, Moyses et Elias : illi legislatorem nullum tunc audiunt aut ignoscunt. Sexto, in Christi transfiguratione apostoli inebriantur spiritu : illi inebriantur vino : Septimo, ibi rutilat Christi facies et vestimenta candent : illi non tantum conscientie faciem peccatis commaculant, sed et famam et pudicitiam exteriori conversatione deturpant.

Alia longe sunt hæc bacchanalia, quæ si Christi festo conformia essent, non multum litigarem cum mundi bacchanalibus. Quod si igitur tunc non celebravimus talia bacchanalia, qualia Christus hodie, incipiamus nunc, et celebremus jam hilaria animæ per orationem et jejunium. Hæc enim duo opera quasi transfigurant hominem, et alteram ei inducent speciem, sed speciosissimam et Deo placentem, cujus transfigurationis aptissimum tempus est quadragesima, quo nimirum veteri exuto homine novus induendus, etc.

## CONCIO IV.

QUID TRACTATUM SIT IN COMITIS IMPERIALIBUS HABITIS IN MONTE THABOR.

I. Actum de morte Christi. — II. Actum de Christi gloria. Christus datus : 1. In mediatorem. 2. In legislatorem. — III. Factæ constitutiones imperiales : 1. Per crucem veniendum ad gloriam. 2. In omni actione præcogitandus finis. 3. In terris non quaerenda beatitudo. 4. Passio Christi omnibus recogitanda.

## THEMA.

*Et ecce apparuerunt eis Moyses et Elias, cum eo loquentes.* Matth. XVII.

Quando principes imperii ad comitia conveniunt, vel soli electores cum imperatore conventum aliquem habent, certum est argumentum magna esse negotia ab illis pertractanda, et nemo omnium est, qui non cupiat scire, quid rerum actitetur in conventu illo. Describit Sanctus Matthæus in hodierno evangelio celeberrima comitia magnorum septem virorum in monte Thabor habita, quibus Deus ipse præfuit velut supremus imperator; adfuit hic Moyses, nomine veteris legis et patrum defunctorum : adfuit Elias nomine eorum qui futuris retro sæculis erunt victuri : adfuere tres primates apostoli, nomine omnium viventium. Petrus nomine Europæ, Joannes nomine Asiæ, Jacobus nomine Africae : adfuit et Dei Filius, Christus : adfuit et Pater, voce de nube lapsa : adfuere omnes in gloria et majestate : et colloquium habebant. Quis ergo non intelligit, maxima fuisse negotia tunc illis pertractanda, ad omne hominum genus spectantia? Jure igitur inquirimus, quid ibi actitarint. Audiamus.

I. Tractatum est de morte Christi, sic enim Lucas ait : *Et dicebant excessum, quem completurus erat in Jerusalem.* Sed quid de Christi morte locuti sunt? Existimo imprimis quæstionem

instituisse, num ea necessaria sit aut modo aliquo præteriri possit. Nam paulo ante cum Matthæi XVI. cœpisset Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerusalem et multa pati, atque occidi; Petrus increpabat Christum, quasi id ei non conveniret : *Absit a te, Domine,* inquit, *non erit tibi hoc.* Itaque concilium hoc instituit Dominus, ut Petrus et alii discipuli audirent de hac re Moysen et Eliam, seu legem et prophetas. Et ecce Moyses et Elias statim instituunt sermonem de exitu et morte Christi complenda in Jerusalem, hoc ipso affirmantes, quod Christus pati et mori deberet. Allegavit enim Moyses plurimas figuras, ut agni paschalis, vaccæ rufæ, jugis sacrificii, etc. Elias vero plurimas prophetias mortem Christi passionemque prænuntiantes, quæ compleri debebant, ut Scriptura impleretur. Deinde, affirmabant sine Christi morte et passione salvari humanum genus non posse, ita ut justitiæ divinæ satisfaceret, siquidem id ob peccata sua justissimo Dei judicio morti adjudicatum erat. Debuit ergo saltem caput pro membris hanc penam luere; et licet alioqui caput se non exponat pro membris, si tamen membra salva esse velit, se pro iis exponere debet : ita in comitiis non debet rex privatam suam sequi utilitatem, sed totius communitatis. Quoniam ergo Christus caput omnium constitutus erat, et quidem libens volens, condecere asserebant, ut liberaret populum suum. Dicebant igitur Christo : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Solus manebis, Christe, et nos omnes interibimus, nisi patiaris et moriaris.

Deinde, animasse eos Christum puto et orasse ut in proposito suo pergeret, proponendo ei *posteriores glorias*, I. Pet. I. hoc est, maximas utilitates ex passione ejus proventuras. Et hic alter exitus erat, de quo sermocinabantur, felicissimus videlicet imprimis omnium hominum generi. Hinc enim primo, agnoscent homines Dei charitatem erga se, et ad ipsum redamandum valde provocabuntur. Deinde, habebunt in ipso Deo exemplum humanitatis, obedientiæ, constantiæ, justitiæ, et virtutum cæterarum in passione ostendendarum. Tertio, inducetur per hoc homini major necessitas abstinendi a peccatis, dum cogitat se sanguine et morte ejus redemptum esse. Felicissimus etiam ipsi Christo, siquidem per hoc gloriam sibi immensam et principatum cœli et terræ ac potestatem judicariam paraturus esset. Unde Isaias, c. LIII. dixit : *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* hoc est.

Ecclesiam perpetuo duraturam et sanctissimis filiis referam, apostolis, martyribus, confessoribus, monachis, virginibus, etc.

Tertio, instigasse et rogasse ut ad exitum illum properaret, idque propter patres illos maxime, qui jam tot annis in limbo desidebant, et exitum ejus præstolabantur. Unde Moyses videtur tamquam legatus illorum patrum adfuisse, Elias vero tamquam legatus futurorum, apostoli viventium, qui omnes vehementer indigebant morte Salvatoris: et hoc facile obtinuerunt. Inde enim Dominus quasi impatientis moræ, Luc. XII. dixit: *Baptismo habeo baptizari et quomodo coarctor usque dum perficiatur.* Et inde antequam veniret hora passionis, ultro effudit sanguinem in monte Oliveti. Erant enim homines pulli hujus pelicani, veneno nimium quantum infecti, ideoque sitebant sanguinem parentis.

Quarto, dissuasisse vel deprecatos esse potius, ne in passione illa nimium excederet, satis enim fore humano generi, si qualemcumque mortem pro illo sustineret. Hoc videtur indicare textus Latinus, cum ait, Lucæ IX. *Et dicebant excessum, quem completurus erat in Jerusalem.* Dicebant ergo fore excessum, si omnem omnino sanguinem profunderet, siquidem sufficiat unica sanguinis gutta ad infinitos mundos redimendos. Secundo, dicebant fore excessum, si mortem crucis, omnium crudelissimam et turpissimam subiret, siquidem sufficiat alia minus dira et probrosa. Tertio, fore excessum, si jacturam omnium omnino faceret, amicorum, fortunarum, famæ, corporis. Quarto, fore excessum, si omnis generis dolores et in omnibus pateretur viribus, etc. Quoad hoc igitur existimarim cum Petro eos repetiisse illud: *Domine, non erit tibi hoc: obsecro ne saltem excedas nimium, siquidem futuri sunt homines innumeri, qui sanguinem illum tuum copiosum effundent velut aquam, adeoque conculcabunt.* Sed nihil obtentum: *Excessum enim completurus erat Dominus in Jerusalem,* ait S. Lucas. Non contentus circumcisione aut modica sanguinis effusione, totum effundere voluit; non contentus quavis morte, crucem subire voluit; non contentus unam honorum suorum facere jacturam, nudus in cruce pendere voluit, destitutus amicis, saturatus opprobriis, circumdatus vulneribus. Non unum, sed omnis generis cruciatus subire et in omnibus torqueri viribus.

Denique, non dubito gratias egisse pro redemptionis beneficio, et pro excessu hujus amoris paulo post complendo.

II. Tractatum est de Christi Domini gloria et exaltatione. Voluit enim hoc loco Deus coram

legatis veteris et novi testamenti, vivorum et mortuorum declarare Christum regem cœli et terræ, judicem ac legislatorem totius mundi, propterea quod hanc gloriam et potestatem promeriturus erat sua passione et morte. Unde Sanctus Petrus de hac transfiguratione ita scribit: *Accipiens enim a Deo Patre horrem et gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, etc.* II. Petri, cap. I. Congregatis igitur orbis principibus, vox Patris intonuit, qua Filio gloriam et honorem dedit, id est, omnimodam potestatem in cœlo et in terra: vel potius prius ab ipso puncto conceptionis collatam ei per unionem hypostaticam, hic publicavit, ut Moyses id nuntiare posset mortuis, apostoli viventibus, Elias vero victuris extremo judicii die. Hæc vero solemnitas declarationis et coronationis Christi in Regem regum ut celebrior esset, ideoque gloria et honore indutus apparuit Dominus: locus etiam ad hoc editissimus electus est: aulæ expansa, nubes videlicet lucida et obumbrans. Et qui aderant discipuli, audita voce Patris, statim: *Ceciderunt in faciem suam et timuerunt valde,* inquit Sanctus Lucas: nimirum velut regem suum statim venerati sunt. *Quid aliud nunc temporis,* inquit Sanctus Ambrosius, lib. III. de Spiritu sancto, capite XII. *dixerunt illi videntes gloriam ejus, nisi: Venite adoremus et procidamus ante eum?* Et Chrysost. hom. LVII. in Matth. *Ceciderunt,* inquit, *trementes simul atque adorantes.* Non leguntur discipuli cecidisse in faciem ac timuisse, quando postmodum Joan. XXI. venit vox de cœlo super Christum dicens: *Et clarificavi et iterum clarificabo.* Quia per hanc vocem non dabatur Christus hominibus in regem, et legislatorem sicuti per illam. Forte ceciderunt illud Apoc. V. *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, etc.*

Dabatur itaque tunc nobis Christus primo in mediatorem omnium prædestinatorum, ita ut per illum Deo placere debeat, quicumque vult placere; per illum gratiam accipere et gloriam, quicumque vult accipere, ipse est Filius Dei naturalis, in quo solo Deus sibi complacet: sed quoniam cæteris etiam prædestinatis gratiam et gloriam meruit, inde ut filii adoptivi per illum Deo placent, atque ita totius complacentiæ fons est Christus. Itaque nunc nobis adlaborandum est, ut Christo placeamus et ipsi nos uniamus. Quemadmodum enim Jacob non esset adeptus benedictionem Patris, nisi vestibus Esau primogeniti fratris, valde bonis et odoriferis, se texisset, Gen. XXVII. sic Deo Patri non possumus placere aut benedictionem ejus consequi, nisi

induamus Christum, ejusque virtutes fragrantissimas et gratiam, quam nobis meruit. Hac ratione assimilari Christo debemus et fieri quodammodo christiformes. Audi apostolum ad Romanos VIII. *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut ipse primogenitus in multis fratribus.* Quanto igitur quis Christo fit conformior in ferenda cruce, in virtutum studio et vitæ sanctitate, tanto magis Deo placet.

Secundo, dabatur in legislatorem et magistrum, cum dicebatur: *Ipsam audite.* Voluit hac voce Deus Pater indicare Moysi cæterisque presentibus se nunc implere promissionem suam, qua Deut. XVIII. dixerat ad ipsum: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illis. Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* Et Moyses ad populum: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies,* quasi dicat: Ego magni illius prophætæ Christi, typus et præcursor tantum; en morior, ipsi lampadem trado: ipsum audietis. Neque vero quia nunc Christum ipsum audire non possumus, doctores et præceptores alios audire non debemus. Ipse enim ad cœlos ascensus dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes, etc.* Matth. XXVIII. et rursum: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* inquit, daturus eis potestatem absolventi, Joan. XX. Nihil igitur excusationis prætere posse, qui Christi delegatos audire nolunt, sicuti nec quando imperator mittit aliquo legatos suos, et per illos imperat.

III. Factæ sunt aliquot constitutiones imperiales, primo, ad gloriam perveniri non posse, nisi per crucem et tribulationes multas, siquidem in hac Christi transfiguratione sermocinatio fuit de ipsius morte et cruce, et quidem prius, quam acciperet a Patre gloriam et honorem voce delapsa in nube. Significabat hoc Christum non nisi per crucem meruisse suam exaltationem et gloriam, sicut apostolus ad Phil. II. testatur: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, etc.* et Dominus ipse, Lucæ ult. *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Hoc ipsum designatur mystice in hodierno evangelio, dum ait Matthæus, Jesum post sex dies assumpsisse discipulos ad spectaculum gloriæ suæ. Sex dies in quibus oportet laborare, dies laborum et tribulationum denotant, septimo demum die sabbatum est, et tempus spectandi gloriam Dei. Quod cum Petrus

non intelligeret, sed manere vellet in monte Thabor et figere tabernacula, antequam crucem vidisset, nequaquam est auditus, quia istud loquebatur: *Nesciens quid diceret,* ait Sanctus Lucas. Et ideo abrupta est ejus oratio a voce cœlesti, siquidem: *Adhuc eo loquente,* ut inquit Matthæus, *ecce nubes lucida, et vox de nube, etc.* Refert Sextus Julius, lib. I. stratagem. quod Cyrus rex Persarum volens suos concitare contra Medos, duxerit populum ad silvam, ubi tota die occupavit eos laboribus maximis, succidendo silvas. Postero die fecit eis convivium splendendum, et interrogavit uter dies magis eis placeret. Responderunt illi: Secundus. Et Cyrus: Per laborem hesternum pervenistis ad gaudium hodiernum, sic beati et felices esse non potestis, nisi prius Medos viceritis. Ita Dominus post sex dies et post ascensum montis excelsi, monstravit discipulis suis gloriam suam: eoque facto ostendit, hanc unam esse viam perveniendi ad coronam, per laborem scilicet et sudorem. Et hanc constitutionem apostoli undique constanter prædicarunt: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei,* Act. XIV. Quicumque igitur crucem horrent, et tribulationes aversantur, voluptates tantum sectantur, etc. absque omni dubio contra hanc constitutionem faciunt et seipsum decipiunt. Itaque certo sibi persuadeant, quicumque fugiunt jejunia, templa, conciones, confessionem, tribulationes, etc. se fugere ipsum cœlum, sicut qui fugit mare, fugit et Venetias: nec unquam eo veniet, quandoquidem alia via non est eo veniendi, nisi per mare. Sane Christus exemplo suo labores mutavit in coronas, ita ut ipsa crux et tribulatio gloria sit et honor. Unde Chrysostomus pro excessu legit gloriam: et apostolus passionem Domini vocat *posteriores glorias.* Hinc cum Junius Donatus præfectus duas sorores germanas, Ruffinam et Secundam verberibus affecisset, altera judicem clamoribus insectata: Cur, inquit, sororem meam gloria, me vero ignominia afficis? Jube ambas verberari, apud Sur. 11. julii. En verbera et flagella, gloria sunt Ruffinæ.

Secunda, in omni actione cogitandum esse primo, quem exitum sit habitura, præsertim cum quis est in magna gloria, deliciis et rerum prosperitate. Hoc enim Christus fecit dum tempore gloriæ suæ sermocinatur de tristissimo vitæ suæ exitu. Referunt aut fabulantur potius gesta Romanorum symbolica, mercatorem aliquando regi cuidam sapientiam venalem proposuisse, et mille florenis vendidisse. Erat autem illa sententia: Quidquid agas, prudenter agas et respice finem. Quam ut cordi haberet, præci-

piebat; foret enim sibi utilissimam. Rex itaque hanc sententiam in domo sua omnibus parietibus undique inscribi jussit, imo et omni supellectili: contigit paulo post ut rex in odium suorum veniret, et clanculum a quibusdam ad necem quæreretur; subornarunt isti tonsorem regis, ut illi jugulum novacula abscinderet: hic cum aliquando tendens regem facinus pararet, vidit in regis linteo litteras acu pictas: Quid quid agas, etc. atque illico territus, retrocedere, pallere et tremere cepit. Objurgatus ob id a rege, imposturam fassus est; seque harum litterarum intuitu a scelere absterritum esse: ita demum rex expertus est quantum sibi profuerit sapiens consilium. Utinam et nos hanc sapientiam mercemur et familiarem nobis faceremus! Hæc enim est, quam Eccl. XI. nobis offert, cum ait: *Si annis multis viaverit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum*, id est, æternitatis. Quicumque igitur lætos agunt dies et secundis rebus utuntur, respiciant ad finem: qui corpori sui serviunt blandiendo, superflue id exornando, delicate saginando, cogitent quale id paulo post futurum sit: utique esca vermium. Hoc si Jezabel cogitasset, non ita subito canibus lacerata et equorum ungulis concultata fuisset, IV. Reg. IX. Sane hæc cogitatio perurgebat Martinum Lutherum, qui dum semel cum suis combibonibus egregie genio indulgeret (quod ei familiare erat) cogereturque saburræ levandæ gratia e turba discedere, auditus est solus sub dio stans secum colloqui et seipsum compellere, aqualiculum interim pulsitans: Martine, Martine, hic quidem sat bene agitur: sed quid posthac futurum est? Refert Joan. David, in verid. christ. cap. C. Mortis igitur, iudicii, et inferni sæpius se commoneant, qui in deliciis sunt, et sic vinum deliciarum aqua futuræ tribulationis misceant, ut ne ipsis noceat.

Tertia, non esse in terra erigendum aut statuendum beatitudinis trophæum, quod facere volebat Petrus, cum dixit: *Faciamus hic tria tabernacula*. Insaniunt qui hoc faciunt: *Non enim habemus hic manentem civitatem sed futuram inquirimus*. Nec decet e terra cælum facere: nec vera ac solida bona sunt, quæ habentur hic in terris, et sunt præterea permixta malis, quemadmodum in transfiguratione Domini fit inter ipsam gloriam mentio mortis ejus. Similes hi filiis Ruben et Gad, qui citra Jordanem terram nacti pastui idoneam, noluerunt transire per Jordanem in terram promissam, quos acriter reprehendit Moyses, Num. XXXII. Nimirum multa mundi implicamenta occupant, ait S. Gregorius, libro XXVII. moralium, cap. X. Hi Jordanem tran-

sire nolunt, quia habitationem cœlestis patriæ non requirunt, sed revera isti nesciunt quid dicant, quemadmodum Petrus in hodierno evangelio: nam præterquam quod stercorea gemmæ et auro præferunt, etiam Dei iram in se provocant isti, qui pretium passionis ejus, imo e cælum ipsum hominibus paratum spernunt. maluntque computrescere ut jumenta in stercore suo, quam in cœlesti aula cum Deo regnare. An nescimus quid dixerit Dominus de illis, qui ad cœnam vocati neglexerunt et se detinuerunt in villis, agris et domibus suis. *Dico autem vobis inquit, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam*, Lucæ XIV. non dicit: Viri adulteri, fornicarii, avari, ebriosi, etc. sed qui vocati noluerunt venire et frui cœna mea. Horum, inquit, *nemo gustabit cœnam meam*. Ubi indicat fore aliquando tempus quando desiderabunt vel gustare de micis illius cœnæ, et cum epulone petent guttam aquæ: et hoc non obtenturos.

Quarta, passionem Christi omnibus Christianis sedulo meditandam et memoriæ commendandam, ac pro ea Christo gratias agendas quotidie, præsertim vero hoc quadragesimali tempore. Sic statuerunt Moyses et Elias, qui de passione Domini futura sermonem instituebant etiam dum lætissimæ intersunt festivitati. Exigit hoc a nobis debitum gratitudinis, quod nunquam satis exsolvere possumus. Assuerus rex ope Mardochei ereptus a morte quam duo eunuchi ei machinabantur, jussit id consignari in annalibus suis. Quos cum nocte aliqua jussisset sibi prælegi, perlecto Mardochei obsequio, et audisset nihil adhuc præmii Mardocheo pro illo collatum esse, statim magno ipsum honore affectit. Equo enim suo impositum, velut in triumphi pompa undique circumduci et honorari jussit, inimicos item ejus occidi fecit, Esth. II. et VI. Quod si rex obsequium servi sibi exhibitum jussit referri in annales suos, sibi prælegi et adeo rependi, annon magis decet ut servus referat in annales suos obsequium ipsius regis. Et quid fecit nobis Christus? A morte æterna nos eripuit, quam machinabatur nobis diabolus. Et quid pro hac fide honoris et præmii Christus a te consecutus est? Nihil omnino. Ecce igitur non saltem ipsi gratias agis et loco gratitudinis beneficium id rememoras? Cur non ipsum propterea laudas, prædicas et extollis? Cur non item inimicos ejus, peccata videlicet, in te extinguis? Scribe igitur in annales cordis tui istud beneficium et quotidie relege, dicque cum Davide: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper ejus laus in ore meo*: et cum S. Paulo: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum*.

## CONCIO V.

EXCESSUS PASSIONIS DOMINICÆ EJUSQUE CAUSÆ.

I. Fuit excessus humilitatis. — II. Fuit excessus charitatis. — III. Fuit excessus liberalitatis. — IV. Fuit excessus patientiæ.

## THEMA.

*Eecce apparuerunt eis Moyses et Elias cum eo loquentes. Matth. XVII.*

Videtur hæc transfigurationis historia patrocinari filiis hujus sæculi. Scribit enim S. Lucas colloquium, quod habuere cum Christo Moyses et Elias, fuisse de ejus excessu, quem completurus erat in Jerusalem. En vobis, mundi asseclæ, patronum sane magnum excessuum vestrorum. Quid enim isti solent nisi excessus facere, in vestitu, in victu, in sermone, in contractibus cæterisque actionibus? Verum sciendum est excessum Christi Domini longe alium fuisse ab excessu reproborum: uti mox audiemus.

I. Passio Christi fuit excessus humilitatis, dum Dei Filius in persona propria eo se demisit, ut expiaret peccata nostra. Indicat hoc apostolus ad Hebræos I. cum de illo ait: *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, etc.* et ad Philippenses II. *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, etc.* Certe nos ut caput tueamur, membra ictui objicimus, non caput ad tuenda membra. Atqui Christus cum esset Filius Dei, et caput nostrum, pro membris se exposuit omnis generis ictibus et tormentis. Quod servus se pro Domino periculis exponat, mirum adeo non est; sed quod Dominus hoc pro servo faciat, id sane admirandum. Quantum vero est, Dei Filium: *Qui est candor lucis æternæ et speculum sine macula* (Sapientiæ VII.) facere purgationem peccatorum quasi omnium infimus servus esset? Ut enim domesticum mancipium omnes sordes tergere debet, quas alii nec videre volunt; ita Christus tersit sordes mundi, peccata scilicet. Unde ea amplecti voluit, quæ nemo alius tangere, uti crucem omnibus exosam, latronum societatem, feralem purpuram, spinas, etc. Contemplare hodiernam Christi gloriam in transfiguratione cum ejus in monte Calvariæ ignominia; intuere cæteras sordes, quas in se recepit, ut a nobis tolleretur. Quis enim nescit, quot sputa, quot alapas, quot contumelias, quot confusiones exhausserit? Inventus est puer Spartanus captus ab Antigono rege, qui sub hasta venditus cum natura esset ingenuus, cætera heri jussa fecit, at matulam

afferre jussus, renuit tam servili obsequio se polluere, ac potius se ex alto præcipitem dedit, Plutarchus, in Lacon. Nos ergo terræ vermiculi non sustinemus ad infima munia dejecti, et non miramur Dei Filium, usque adeo se humiliasse ut tergeret nostrorum peccatorum sordes et abominations. Et quæ, putatis, causa est tantæ dejectionis? Prima utique, ut retunderet nostram superbiam, qua nimium quantum excedimus et supra nos ipsos efferimur. Ad hoc namque, inquit Sanctus Gregorius, libro XXXIV. moral. c. XXI. « Unigenitus Dei Filius formam infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc invisibilis, non solum visibilis sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionumque tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. »

Secunda, ut majorem in Christum fiduciam haberemus, nec dubitaremus eum facturum esse minora et faciliora, qui tanta et tam difficilia nostri gratia fecit. Celebrant multi, nec immerito, Caroli V. imperatoris factum, quo Ulisingæ commoratus, Seldio Ferdinandi fratris legato, sub ipsam noctem a se discedenti candelam, cum neminem ministrorum præsentem haberet, prætulit per gradus ad quietis locum, renitenti interim Seldio dicens: « Hoc tibi monumentum Cæsaris illius Caroli habeto, Seldi, tot exercitiis et satellitibus quondam stipati, quem nunc solum et a familia etiam desertum vides, et cui tot annis servivisti, ille tibi servit et lumen prætulit, » Cythr. oratione de Carolo V. Quod si hæc humilitas in imperatore memorabilis et mira est, quanti nos reputabimus humilitatem Christi, qui cum esset Deus et Rex regum, nobis tamen servire angelorum satellitio destitutus, et non doctrinæ tantum lumen præferre et sufferre voluit? Non fit ergo nobis passio et mors illius perpetuum monumentum humilitatis ejus, et stimulus ad fiduciam in eum semper habendam? Quid enim non dabit nobis, qui seipsum in servum dedit?

II. Fuit excessus charitatis, siquidem pro peccatoribus et inimicis suis mortuus est: *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam pro amicis ponat*, teste Domino Joannis XV. Atqui ipse animam suam pro inimicis posuit; nimiam ergo charitatem habuit. Audi apostolum ad Romanos V. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis*, inquit, *quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*: et ad Ephesios II. *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo*. Nimia erat hæc charitas respectu hominum indignorum; qui, si naturam